

mo Veneti nominis amicissimus. Is inter cæteros quos tulit liberos, Andronicum habuit: qui cum temere in patrem conspirasset, sceleris convictus, illius jussu visu debilitatus est, ac Peram ablegatus. Genuenses, qui jam ante audea indigne tulerant, Venetos sibi a Calojoanne in amicitia prælatos, puerum primo curandum medicis tradidere: quem, magna ex parte luce recuperata, ad imperium patris impie occupandum impellunt. Audax & facinorosus juvenis haud abnuit scelus, ac Perenium, qui omnes fere Genuenses erant, opibus fretus, repente in senem & reliquos necessarios impetu facto, imperium occupat, parentes ipsos cum tota familia in vincula conjicit. Quidam auctores sunt, a Cantacusino, homine Græci generis, Calojoannem dignitate ejectum, Franciscique Catelusij Genuensis opera in pristinam fortunam restitutum; atque ob eam rem Ligurem Lesbum insulam ab eo dono accepisse. Sed annales, quos sequimur, Andronicum auctorem ejus motus fuisse affirmant: quos eo libertius sequor, quia constat, adolescentem cum Pera & Genuensibus postea a Calojoanne oppugnatum. Promiserat igitur ab initio Andronicus Tenedum insulam Genuensibus: quibus fidem præstiturus, scribit ad eos qui arcem præsidio tenebant, ut eam cum tota insula Liguribus traderent. Duæ Perenii triremes ad id Tenedum missæ: præsidii autem præfectus cum ipsis incolis, nihil Andronici literis moti, respondent, insulam Calojoannis esse, non filii: nulli hominum se eam tradituros unquam, nisi is, cuius esset, imperasset. Ferunt, florentibus imperii rebus, & præsidii præfecto & insulanis mandatum: ut si, quod nolle, imperii fastigio casu aliquo quandoque senex ejectus esset, nulli gentium præterquam Venetis insulæ possessionem traderent. Perenses spe Tenedi potiundæ frustrati, Constantinopolim continuo abidere. Prærat Veneto sinui Marcus Justinianus, qui, auditio Calojoannis casu, veritus ne Venetæ triremes, quæ ad Pontici maris negotia exiverant, aliquid a Genuensibus incommodum ea temporum novitate acciperent, ad exitum usque Pontici maris eas co-